INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCCII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HUGONIS WEISS** COMMENTATIO EXEGETICA:
QUID DE IMMORTALITATE ANIMARUM HEBRAEI ET GENTES HEBRAEIS FINITIMAE ANTIQUIORE TEMPORE SENSERINT.

PARTICULA I.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (G. RIEBENSAHM.)
1902.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quid de immortalitate animarum Hebraei et gentes Hebraeis finitimae antiquiore tempore senserint.

Non defuerunt usque ad nostra tempora interpretes Veteris Testamenti, qui Hebraicos Mosis aequales nullam omnino notionem de immortalitate animarum habuisse arbitrati sint. Aeque ac veteres Sadducaei, qui neque resurrectionis mortuorum neque immortalitatis animarum vestigia in Pentateucho reperire poterant [1]), necnon una cum Marcionitis, quibus Moses omnem spem futurae resurrectionis in hominibus exstinxisse et mortalitatem animae humanae probasse videbatur,[2]) nonnulli philosophi Anglici et Francogallici, decimo septimo et decimo octavo saeculo affirmarunt, Israelitas ante exilium Babylonicum credidisse, omnium facinorum seu bonorum seu malorum mercedem pretiumque a Deo solummodo hac in terra distribui.[3]) Ex viris doctis Germaniae in eandem sententiam abierunt Lessing,[4]) Kant,[5]) D. Strauss,[6]) alii, quos nuper secutus est Wellhausen haec faciens verba: „Ein Hauptartikel des (altisraelitischen) Glaubens war, dass Jahve richte und vergelte auf Erden, nicht nach dem Tode, denn ein Jenseits wurde nicht geglaubt . . . die hebräische Psychologie hat mit der

---

1) Matth. 22, 23; Mrc. 12, 18; Luc. 20, 27; Act. 23, 8. Flav. Josephus, De bello jud. II, 8, 14. Antt. XVIII, 1, 4.

2) Augustinus, Contra adversarios legis et prophetarum III, 6.

3) Compluria philosophorum recentiorum hac de re effata congesserunt Flunk, Die Eschatologie Altisraels. Zeitschrift für kathol. Theologie 1887, p. 451 sq. et Atzberger, Die christliche Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung im Alten und Neuen Testament p. 17.

4) Lessing, Erziehung des Menschengeschlechts 16. 17.

5) Kant, Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. Leipzig 1793, p. 147.

6) Strauss, Der alte und der neue Glaube 1872, p. 366.

Religion nichts zu thun. Der Einzelne stirbt und damit ist es aus, Leib und Seele gehen zusammen . . . von einem ewigen, jenseitigen Leben ist nicht die Rede."[7])

At sicut singuli soni paucarum fidium dissonantium superantur atque evanescunt magna in symphonia et concentu nervorum et tibiarum, ita judicia modo allata refelluntur ac plane tolluntur unanimi fere consensu permultorum illorum interpretum et historicorum quaestionem nostram recentiore tempore accurate excutientium, qui veteribus Hebraeis ideam quandam immortalitatis ascribere non dubitarunt. Non solum enim quicunque nobiscum persuasum sibi habent, jam auctores generis humani et patriarchas Israelitarum per divinam revelationem de natura animae humanae aliquantulum edoctos fuisse, sed etiam omnes fere historici, qui gentem a Deo electam ceteris gentibus Semiticis omnino parem ponentes originem et progressum religionis Israeliticae mere naturalem fuisse putant, libenter concedunt, vitam animarum aeternam veteribus Hebraeis non ignotam fuisse.[8]) — Qua de causa nobis jam non est in animo omnes locos priorum librorum Veteris Testamenti huc referendos iterum fusius explicare iterumque filios Abrahami, patriarchae venerabilis, a nota stultae istius incredulitatis liberare. Majoris potius momenti esse videtur ideam immortalitatis apud Hebraeos tempore antiquiore certe exstantem accuratius examinare eamque cum ideis quibusdam similibus populorum populo Hebraico finitimorum comparare, unde et praestantia religionis Israeliticae et Sapientia divina in educando illo populo adhibita optime perspicietur. Primum igitur quaeramus, quid de immortalitate crediderint

I. Hebraei.

1. Firmum fundamentum, in quo veterum Hebraeorum idea immortalitatis nitebatur, erat perfecta eorum de Deo et de origine animae humanae doctrina.

a. Deum esse omnipotentem et sapientissimum dominatorem coeli et terrae omnes Hebraici Mosis aequales ex illustrissima Pentateuchi narratione de creatione mundi evidenter cognoscebant (Gen. 1, 1 sqq.).[9]) Neque multis diis seu „aeonibus" collaborantibus sed unius Dei voluntate et verbo omnia — sidera et tellus, maria et montes, plantae et animalia — creata erant.[10]) Cujus Dei altissimi justitia et sanctitas non ignota esse poterat iis, qui historiam inundationis terrarum, dissipationem gentium in Babylonia factam, poenam primoparentum ex Paradiso pulsorum, alia fata

---

7) Wellhausen, Israelitische und jüdische Geschichte p. 69. 168. 254.

8) Ex permagno numero scriptorum satis est hic nominare: Calmet, De natura animae et ejus post mortem statu ex sententia veterum Hebraeorum. Diss. II. p. 398 sqq. Reinke, Beiträge V, p. 203 sqq. Schenz, Die alttestamentliche Offenbarungslehre über die Scheol. Schäfer, Die Unsterblichkeitslehre des Alten Testamentes in Katholik 1877, p. 352 sqq. — Spiess, Entwicklungsgeschichte der Vorstellungen vom Zustande nach dem Tode p. 417 sqq. Schwally, Das Leben nach dem Tode p. 7 sqq. Marti, Geschichte der israelitischen Religion, ed. III., p. 115—117.

9) Quamquam Cornill, Einleitung in das Alte Testament, ed. II., p. 28; 60 sqq., Wellhausen, Prolegomena, ed. IV., p. 8 sqq., alii magnam Pentateuchi partem imprimis codicem quem dicunt sacerdotalem (P) tempori exilii Babylonici i. e. saeculo a. Chr. n. sexto ascribunt, nos quidem eo fidentius nunc originem Mosaicam librornm illorum tenemus, quo ingeniosius et doctius nuper auctoritas atque integritas textus sacri contra criticos illos defensa ac munita est. Cf. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung p. 287 sqq. Schanz, Apologie des Christenthums ed. II., tom. II., p. 215 sqq. — Fortasse id quod „traditio" de ortu librorum sacrorum Veteris Testamenti docet a criticis nostris mox probabitur aeque ac christianae ecclesiae de origine evangeliorum perpetua sententia libenter nunc comprobata est ab iisdem interpretibus, qui „traditionem" illam tamdiu parvi aestimaverant. Cf. Harnack, Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius I, p. X: „Ich scheue mich nicht, das Wort „rückläufig" zu gebrauchen; denn man soll die Dinge beim rechten Namen nennen, und wir sind in der Kritik der Quellen des ältesten Christenthums ohne Frage in einer rückläufigen Bewegung zur Tradition." Fonck, Kritik und Tradition im Alten Testament in Zeitschrift für kath. Theologie 1899, II. p. 263 sqq.

10) Nikel, Der Monotheismus Israels in der vorexilischen Zeit. Neisse 1893.

inclyta sive totius generis humani sive singulorum hominum ex prioribus Pentateuchi libris perspecta habebant (Gen. 3, 10 sqq.; 4, 10 sqq.; 6, 1 sqq.; 11, 1 sqq.). Praeterea omnes Hebraei saepissime admirari ac praedicare debebant bonitatem, amorem, misericordiam Dei sui, qui non solum sollemniter pollicitus erat, se misericordiam suam largiturum esse „in millia" diligentibus ipsum (Exod. 20, 6), sed etiam sexcenties revera aquilae instar populum Israeliticum ex Aegypto liberatum super alas suas portaverat (Exod. 19, 4. Cf. Deut. 32, 11: Sicut aquila . . . expandit alas suas et assumpsit eum atque portavit in humeris suis). Huc accedit, quod inde ab eo temporis momento, quo Deus Mosi in rubo ardente apparebat (Exod. 3, 2 sqq.), Israelitae multo quam antea dilucidius immutabilitatem et aeternitatem Dei perspicere incipiebant. „Jahve" enim, nomen divinum legislatori Israelitico tunc non primum quidem revelatum, accuratius tamen explicatum et graviter commendatum, [11]) omnibus Israelitis exinde aperte indicabat, Deum verum non esse similem inanimatis gentium diis, sed per omnes generationes et per omnia saecula esse vivum et vivificantem nec non vitam habere ex se et in se ipso.[12]) — Denique Israelitae Pentateucho teste non dubitabant, quin Deus corpore careret et omnino spiritualis esset, ita ut neque senescere neque evanescere posset. „Non poteris", ait ipse Deus Mosi, „videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet (Exod. 33, 20)." Unde et Moses Israelitis hoc in memoriam revocabat, quod non vidissent „ullam similitudinem" ea die, qua locutus esset ipsis Dominus in monte Horeb de medio ignis, ne forte decepti sibi facerent sculptam similitudinem aut imaginem masculi seu feminae . . . neve forte elevatis oculis ad coelum solem, lunam, cetera astra adorarent, et colerent ea quae creasset Deus in ministerium cunctis gentibus (Deut. 4, 15—19. Vulg.). Immo jam primo decalogi praecepto Israelitae vetiti erant sibi effigiem Dei sculpere (Exod. 20. 4; Deut. 5, 8); et quanquam in sanctuario sacri tabernaculi angelos formari jusserat Deus, tamen nullam sui ipsius imaginem ibidem admisit, quo se magis invisibilem et spiritualem quam angelos esse significaret. [13])

Quid plura? Jam ex his quos adhuc congessimus Pentateuchi locis satis apparet, veteres Hebraeos de natura et proprietatibus Dei excelsissimam doctrinam secutos esse. Ille autem Deus praepotens et sapiens, justus et sanctus, benevolus et misericors, aeternus et spiritalis secundum eosdem libros sacros perantiquos in terra unum creavit animantem paulo tantum se ipso minorem (Ps. 8, 6) seu ipsi simillimum, —

b. hominem. Expressis enim verbis Moses „Creavit" inquit, „Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum (Gen. 1,27)." Israelitae autem, si quaerebant, qua in speciali re similitudo illa hominis cum Deo consisteret, non diu dubitare poterant, quin Deus, quippe qui corpore careret, in sola anima hominis imaginem suam posuisset. Ergo anima humana, licet terminis quibusdam circumscripta, iisdem quibus Deus attributis et proprietatibus, imprimis autem aeternitate seu immortalitate excelleret necesse erat. [14]) Quam conclusionem ex Mosaica de creatione hominis narratione Hebraei eo facilius facere poterant, quo magis singulos creationis illius actus perpendebant.

Non enim, sicut in ceteris opificiis suis, brevi tantum verbo illo „Fiat" usus Deus hominem creavit sed consultatione quadam habita consilioque promulgato his verbis: „Faciamus hominem ad

---

[11]) Reinke, Ueber den Gottesnamen Jehova. Beitraege III, p. 1 sqq.

[12]) Haneberg, Geschichte der biblischen Offenbarung, ed. IV., p. 81.

[13]) Hummelauer, Commentarius in Exodum et Leviticum p. 200.

[14]) Petavius, De sex dierum opificio II, p. 4. Scholz, Die Theologie des Alten Bundes II, p. 87 sq. Oswald, Die Schöpfungslehre p. 197 sqq.

imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1, 26)."[15]) Praeterea non sicut pisces, aves, cetera animalia ex aqua et terra jussu divino producebantur (Gen. 1, 20. 24), ita totus homo originem suam a terra trahebat, sed speciali et novo in actu creationis corpori hominis de limo terrae formato vita seu anima a Deo inspirata est (Gen. 2, 7), itaque non ab imo sed desuper i. e. ab ipso Deo anima humana orta est. Quapropter nullum Israelitam historiam creationis attente perscrutantem effugere poterat, quantum interesset inter hominem et bestiam, et quam prope anima humana accederet ad spiritualem naturam Dei. Id quod Salomo rex quoque sentiebat, qui de morte hominis verba illa fecit: „Revertitur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redit ad Deum, qui dedit illum (Eccl. 12, 7)." Denique singularis praestantia animae humanae prae spiritu vitali animalium rationis expertium ex eo clare perspicienda erat, quod homini modo creato praesidium ac dominium super totam terram a Deo tradebatur (Gen. 1, 28), quo in principatu gerendo similitudo hominis cum ipso Deo toti mundo quotidie palam fiebat.

Profecto! Veteres Hebraei quum doctrinae admirandae et omni laude dignae de Deo et origine animae humanae dediti essent, jam hoc in duplici firmissimo fundamento ideam quoque de immortalitate multo perfectiorem sibi formare debebant quam ethnici finitimi, qui verum Deum non agnoscebant.

2. Immortalitatis autem idea in cordibus Israelitarum valde firmabatur f o e d e r e illo, quod Deus cum patriarchis fecerat et per Mosen legislatorem prope Sinai montem identidem obsignaverat. Qua divina institutione connexus tam arctus tantaque familiaritas inter Deum et populum Israeliticum singulosque populares stabiliebatur, ut vix quisquam opinari posset, fore ut post mortem corporis etiam anima a Deo omnino deleretur.[16]) Quod ut melius intelligamus, breviter intueamur

a. T h e o c r a t i c a m quam dicunt f o r m a m c i v i t a t i s Hebraicae, cui formae similem apud alias gentes vix reperies.[17]) Caput enim et summa regiminis illius divini in eo versabatur, quod ipse Deus supremus Israelitarum legislator et princeps erat eo consilio, ut populum suum paullatim per saecula educaret et magis magisque secum vinculo divino connecteret. Quapropter Moses novas leges in deserto Sinaitico latas non suo nomine notabat, sed fere semper his verbis promulgare coeperat: „Locutus est Dominus dicens (Exod. 20, 1; 25, 1; 31, 1 etc.)." Finita autem legislatione „Haec," ait, „sunt judicia atque praecepta et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi (Lev. 26, 46. Cf. l. c. 27, 34)." Simili modo Moses ceterique duces populo praeesse eumque gubernare non conati essent, nisi spiritu divino repleti et ab ipso Deo muneri suo praepositi fuissent, quibuscum communiter Deus populum suum regebat (Num. 11, 11 sqq.; Deut. 17, 15). Proinde factum est, ut Hebraei sub oculis summi sui praeceptoris et domini paullatim multum proficerent in sublimiori sapientia et parerent praeceptis divinis (Exod. 19, 6; Lev. 11, 44; 19, 2; 20, 26; Num. 15, 40; Jos. 1, 17 sq.; 24, 31). Quo autem arctiore vinculo Israelitae isto modo cum Deo in diem jungebantur, eo longius abesse debebant ab opinione, amicitiam seu familiaritatem illam singularem jam breve post tempus, i. e. post mortem corporis finem habituram esse; qui potius sperare debebant, se etiam mortuo corpore beatitudine illa fruituros esse, quam Deus civibus regni sui theocratici promiserat hisce verbis: „Non abjiciet vos anima mea; ambulabo inter vos et ero Deus vester vosque eritis populus meus" (Lev. 26, 11 sq.). Praeterea

---

[15]) Gregorius Nyssenus apud Hummelauer, Commentarius in Genesin p. 106: „O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione praecedente eodemque pacto coelum . . . solius ad hominis fabricationem creator ille universitatis rerum quadam cum consideratione accedit!"

[16]) Spiess, Entwicklungsgeschichte p. 437 sq.

[17]) Scholz, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel II, p. 296.

b. Legibus quibusdam atque institutis foederis antiqui cum Deo facti Hebraei haud raro incitabantur, ut animum ab hac terrestri vita ad Deum et vitam aeternam post mortem futuram converterent. Quum v. gr. Deus cum Abrahamo patriarcha foedus primo iceret et novae istius societatis signum eligeret circumcisionem, patriarcham adhortatus est hoc modo: „Ego sum Deus omnipotens; ambula coram me et esto perfectus!" (Gen. 17, 1). Unde omnes Hebraei circumcisi sentiebant, summum ipsorum officium esse purgationem atque expiationem cordis,[17]) id quod etiam Moses populo suo his verbis commendabat: „Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua, ut possis vivere." Deut. 30, 6. Cf. Lev. 26, 41; Deut. 10, 16. Tantum ergo aberat, ut circumcisio solummodo puritatem et sanitatem corporis augeret,[18]) ut animae humanae magnam utilitatem afferret eamque ad beatitudinem aeternam praepararet.

Nec minus cogitationes suas in regiones coelestes et ad contemplationem finis ipsorum supranaturalis sublevare debebant Hebraei, quotiescumque sacrum tabernaculum a Mose exstructum visitabant ejusque singulas partes — aream, sanctuarium, sanctum sanctorum — animo attente perlustrabant. Qui per altare et labrum aeneum in area tabernaculi positum symbolice monebantur, ut ab omnibus peccatis sese purgarent et Deum peccatis offensum sibi reconciliarent. Tum candelabrum aureum, mensa panum propositionis, altare thymiamatis in sanctuario anteriori collocata sine dubio erant symbola, quae altiorem gradum pietatis depingebant, quoniam ex candelabro necessitas clare cognoscendi Deum, ex altari ascensio ardentium precum ad coelum, ex panibus propositionis divina gratia symbolice effulgebat. Denique arca foederis in adyto seu sancto sanctorum posita, supra quam duo Cherubim insidebant, frequentatores sacri tabernaculi adhortabatur, ut ceteris gradibus pietatis superatis ad summum fastigium i. e. ad perfectam et sempiternam cum Deo unionem aeque atque angeli coeli progrederentur.[19])

Quae meditationes de supremo hominis fine in vita aeterna assequendo imprimis in eorum cordibus facile oriebantur, qui ad tabernaculum perveniebant sacrificiorum offerendorum causa. Israelitae enim, quotiescumque legis Mosaicae praecepta non observaverant, aut sacrificia pro peccatis (hebr. *chattath*) aut sacrificia pro delictis (hebr. *ascham*) Deo offerre solebant. Cf. Lev. 12, 6. 8; 14, 19; 5, 22; 15, 15; Num. 6, 10; Lev. 5, 15 sq.; 19, 20 etc.[20]) Immo ea peccata, quae non consulto et cum deliberatione sed per ignorantiam commissa erant, sacrificiis expiabantur.[21]) Quamquam autem vera et perfecta remissio peccatorum non „sanguine taurorum et hircorum" (Hebr. 10, 4) sed sanguine „Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo" (ibid. 9, 14) impetrabatur, tamen verisimile est, multos Hebraeos in sacrificiis suis faciendis ardenter desiderasse, ut ab omnibus peccatorum poenis et terrestribus et post mortem instantibus liberarentur. Quae spes non fallebat eos, qui desiderio promissae salutis aeternae impleti non ignorabant, omnia sacrificia Veteris Testamenti esse umbras et typos unius sacrificii a Messia suo tempore faciendi.[22]) Itaque saepius certo accidit, ut expiatione illa facta vinculum amicitiae inter Deum et homines reapse

---

[18]) Philo de circumcisione § 1.

[19]) Haneberg, Die religiösen Alterthümer der Bibel, ed. II., p. 342 sqq.

[20]) Haneberg, l. c. p. 406 sqq. Scholz, l. c. II, p. 154 sqq.

[21]) Cf. Lev. 4, 2: „Anima, quae peccaverit per ignorantiam et de universis mandatis Domini quae praecepit, ut non fieret, quidpiam fecerit . . . offeret pro peccato suo vitulum immaculatum." Lev. 5, 15: „Anima si praevaricans ceremonias per errorem peccaverit etc."

[22]) Reischl, Comment. ad Hebr. 10, 4. Cf. Hebr. 11, 7 sqq.

renovaretur et idea immortalitatis in multis Hebraeis amicitiam illam sempiternam permagno aestimantibus valde firmaretur.[23])

c. Denique veteres Hebraei, quam intime homines cum Deo immortali cohaererent, colligere poterant ex artissima illa nominis Dei cum nominibus patriarcharum conjunctione, cui ipse Christus in disputatione sua cum Sadducaeis habita magnam vim ac pondus attribuebat (Matth. 22, 24 sqq.). Ut enim dubitationem de resurrectione mortuorum et de immortalitate animarum tolleret, Christus auditoribus suis verba gravissima in memoriam revocabat, quibus Deus Mosen ex rubo ardenti allocutus erat: „Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob . . . haec dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos; hoc nomen mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem" (Exod. 3, 6. 15 Cf. Gen. 26, 24; 28, 13; 46, 1. 3. Exod. 4, 5). Deus igitur, quum non semel et tanquam fortuito sed iterum atque iterum cum nomine suo nomina patriarcharum connecteret, sine dubio demonstrare volebat, se homines illos in intimam amicitiam receptos et ante et post ipsorum mortem omnibus bonis ac fructibus foederis sui sacri implevisse.[24]) Quum autem foedus illud perantiquum tempore Mosis redintegraretur ac sanciretur, jam legislatoris aequalibus dubium esse non poterat, quin venerabiles patres populi tempore Mosaico non omnino mortui essent sed potius apud Deum beate viverent et victuri essent usque ad consummationem foederis divini.[25]) Ut aliis verbis utar: Veteres Hebraei animas patriarcharum immortales esse credebant, quam ad sententiam Sadducaeos quoque Christus perducere intendebat argumentationis suae finem faciens hoc modo: „Non est Deus (Deus) mortuorum sed viventium" (Matth. 22, 32).

Itaque antiquissimis S. Scripturae libris testibus Israelitae inde a primis temporibus quotidie agnoscebant et sentiebant, se vario modo cum Deo conjunctos esse. Nonne autem dementis fuisset opinari, fore ut vinculum illud duplex vel triplex post mortem corporis subito dissecaretur? Nonne Deus amicis suis humanis salutem aeternam societate illa directe seu indirecte promissam eo libentius tribuere debebat, quo majore labore homines jam hac in terra ab omnibus vitiis et peccatis liberari et amicitia divina digni fieri studuerant?

3. Ad sententiam Hebraeorum de immortalitate animarum recte cognoscendam magni momenti est accuratius inspicere locum, in quem animae mortuorum pervenire putabantur. Cujus nomen perantiquum erat *Scheol* (Vulg. infernus, inferi, inferus. LXX Hades), quod nusquam cum articulo Hebraico conjunctum est, ita ut nominis proprii vim habeat. Videtur autem derivandum esse a voce *scha'al*, i. e. poscere, expostulare; ideoque imprimis significabat domicilium seu regnum, quod veluti monstrum terribile insatiabili cum cupiditate efflagitabat ac poscebat, ut omnes homines morientes in gremium suum devenirent (Cf. Jes. 5, 14: „Dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino." Prov. 1, 12; 27, 20; 30, 16. Hab. 2, 5). Pro qua derivatione etymologica id potissimum nuper in medium profertur, quod *schualu*, vox Assyriaca cum Hebraica voce fere consona, designabat locum, ad quem homines mortui vocabantur seu poscebantur ad audiendam judicis sententiam.[26]) Fortasse etiam inferni cognomen *beth mo'ed*, i. e. domus congregationis (Job 30, 23)

---

[23]) Schaefer, l c. II, 358 Atzberger, l. c. p. 33.

[24]) Knabenbauer, Comment. in Evang. sec. Matth. p. 260: „Ea quippe voce Deus se profitetur protectorem, defensorem, dominum, benefactorem, remuneratorem, brevi omne bonum et summum bonum illorum."

[25]) Flunk, Die Eschatologie Altisraels, l. c. p. 475.

[26]) Jeremias, Die babylonisch-assyrischen Vorstellungen vom Leben nach dem Tode p. 62. Spiess, l. c. p. 423, alii. Cum Gesenio (Thesaurus linguae Hebr. s. v. *Scheol*) et Böttchero (De inferis p. 64) vocabulum illud etiamnunc a voce *Scha'al*, i. e. cavus, derivare nos quidem propter conspicuam cognationem inter totam Hebraicam et Chaldaicam linguam (Cf. Vigouroux, Die Bibel I, p. 344) non conamur.

necnon vocabulum *neesaph*, i. e. „colligere", „coacervare" in usitatissima loquendi formula *neesaph el ammo* seu *neesaph el aboth* (congregari ad populum seu ad patres, cf. Gen. 25, 8; 49, 29; Num. 20, 26 etc.), principalem illam significationem vocis *Scheol* in memoriam revocat. Ergo non negandum est, quin jam in nomine inferni contenta fuerit subobscura demonstratio, animas hominum post mortem ad tribunal subterraneum vocatorum esse immortales. Propius autem accedentes ad singulos S. Scripturae locos hanc reperimus doctrinam de natura inferni et de hominibus ibidem habitantibus:

a. Situs erat infernus in visceribus terrae, quo mortui „descendebant" seu „deducebantur" (Gen. 37, 35; 42, 38; 44, 29). Quum Dathan et Abiron Deum blasphemassent, confestim „dirupta est terra sub pedibus eorum et aperiens os suum devoravit illos . . . descenderuntque viri in infernum operti humo (Num. 16, 31 sq.)." Tum Scheol haud raro poetice comparabatur cum castello portis et claustris a terra superiori separato et in complures partes diviso,[27]) (Deut. 32, 22). In quod quum solis lux intrare non posset, Hebraei alia comparatione facta infernum nominabant „terram tenebrosam et mortis caligine opertam" (Job 10, 21), quae tam longe lateque patebat, ut cunctos mortales in finibus suis excipere posset (Job 30, 23). Non recte enim Kiesselbach, Redslob, alii putaverunt, Hebraeos prioribus temporibus voce Scheol nihil aliud denotasse nisi sepulcrum singulorum hominum.[28]) Quae opinio jam eo facile refutari potest, quod multis in locis S. Scripturae primum mortuorum quorundam descensio ad habitatores Scheolis describitur, deinde autem narratio de eorundem mortuorum sepultura additur (Cf. Gen. 15, 15; 25, 8 sq.; 35, 29).[29]) Qua in re magni momenti est, quod mortem nonnullorum virorum commemorans Moses verbis illis utitur „*neesaph el abotaw*", i. e. „congregatus est ad patres suos", etsi sepultura mortuorum procul fiebat a patria et a sepulcro patrum. Unde sequitur formula illa sortem non corporum putrescentium sed animarum immortalium significari. V. gr. Abraham patriarcha in Chaldaea ortus secundum Genesin (25, 8) „congregatus est ad populum suum", quamquam ejus corpus in Palaestina „in spelunca duplici, quae sita est in agro Ephron filii Seor Hethaei" sepultum est (L. c. 25, 9). Similiter „cum patribus suis" dormiisse fertur ipse Moses legislator (Deut. 31, 6), quem tamen Deus non medio in populo Israelitico sed in valle quadam terrae Moabiticae omnibus hominibus ignota sepelivit (Deut. 34, 6). Sedem subterraneam omnibus animabus hominum defunctorum communem etiam Jacob patriarcha ante oculos habebat eo temporis momento, quo nuncio de morte Josephi allato „Descendam", inquit „ad filium meum in infernum (Gen. 37, 35)." Patriarcha enim quippe qui Josephum a bestia devoratum esse persuasum haberet, hanc solam spem fovere poterat, fore ut in Scheole reperiret animam filii sui immortalem. Qua cum exspectatione id denique bene congruit, quod ibidem post mortem convenire dicebantur „reges et consules terrae, principes et divites, impii et fessi labore, vincti quondam et illorum exactores" (Job 3, 14 sqq.), — id est universum genus hominum.

b. Vita ac conditio eorum, qui in Scheolem descenderant, veteribus Hebraeis primo aspectu minime beata ac jucunda esse videbatur. Quod judicium facile ferebatur non solum propter eum, quem supra adumbravimus, situm et naturam regni illius subterranei, sed imprimis propterea quod Hebraei antiquissima historia generis humani satis edocti non nesciebant, mortem prodiisse ex peccato (Gen. 3, 19). Ergo cum idea Scheolis peccati quoque et poenarum ibidem luendarum idea arcte cohaerebat, neque ullus homo peccatorum suorum memor sine metu iter suum

---

27) Cf. Job 38, 17: „Numquid apertae sunt tibi portae mortis et ostia tenebrosa vidisti?" —
28) Cf. Atzberger, l. c. p. 23.
29) Knobel, Die Genesis p. 191.

in Scheolem inire poterat.[30]) Itaque Core, Dathan et Abiron eorumque socii propter flagitium in Mosen commissum „viventes in infernum" descendisse feruntur (Num. 16, 30 sqq.), et ipse Deus populo suo impio atque infideli minatus est: „Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima (Deut. 32, 22)," quae poena divina, etsi fortasse non referenda est ad ignem sempiternum sceleratissimis hominibus in inferno destinatum,[31]) hoc tamen aperte docet, judicem divinum in Scheole omnia peccata acerrime castigaturum esse.[32]) Huc quum accedat, quod incolae Scheolis antiquitus nominentur *Rephaim*, i. e. debiles, infirmi, flaccidi, qui coram Deo Scheolem oculis perlustrante contremiscant (Job 26, 5 sq.),[33]) jam manifestum est, Hebraeos de vita in inferno degenda plerumque imaginem tristem ac luctuosam cogitatione sibi depinxisse.

Attamen longe a vero aberraret qui putaret, veteres Hebraeos habitatoribus Scheolis miserrimam tantum conditionem adscripsisse;[34]) nonnunquam potius luminis cujusdam radiis tenebrae Scheolis jam tunc illuminabantur.[35]) Primum enim quicunque laboribus et molestiis vitae terrestris fatigati erant merito g a u d e b a n t, quod in Scheole p a c e ac r e q u i e fruituri essent, quae spes eo major esse debebat, quo quis erat justior et perfectior, ita ut tutus esset a poenis, quae peccatoribus in Scheole imminebant. Qua de causa jam Abraham, pius ille patriarcha, impavidus portis inferni appropinquabat, quoniam a Deo hanc acceperat laetabilem promissionem: „Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona (Gen. 15, 15)."[36]) Similiter Jacob, Joseph, Moses, alii viri justi et doloribus molestiisque in hac vita vexati mortem minime timuisse, sed mandatis de sepultura sua et de variis posterorum officiis circumspecte datis magna cum tranquillitate animi in Scheolem intrasse videntur. Cf. Gen. 49, 29 sqq.; 50, 24 sq.; Deut. 4, 22; 31, 2, 28 sqq. V. gr. Jacob patriarcha a Pharaone Aegyptiaco interrogatus, quot sint ipsius dies annorum, memorabile reddebat responsum, in quo sine dubio desiderium percipiendi pacem et requiem futurae vitae continebatur; nam „dies", inquit, „peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt (Gen. 47, 8 sq.)," quorum verborum rationem habens S. Paulus apostolus in epistola sua ad Hebraeos scripta demonstrat, viros justos Veteris Testamenti fuisse peregrinos et hospites in terra. „Qui enim haec dicunt, significant, se patriam inquirere meliorem i. e. coelestem." Hebr. 11, 13 sqq.[37]) Neque aliter de conditione inferorum sentiebat Job patriarcha, quippe qui doloribus vehementissimis adhuc oppressus in quiete et tranquillitate Scheolis describenda quodammodo animum suum tristi quadam oblectatione pasceret.[38])

At non solum vacuitas doloris, quies aliaque quae dicuntur negativa bona, sed etiam b e a t i t u d o aliaque p r a e m i a p o s i t i v a ab iis qui hac in vita virtuti studuerant, cupidissime ibidem exspectabantur. Minime quidem negandum est, quin priore tempore Deus populum suum saepissime

---

30) Atzberger, l. c. p. 25 sq.

31) Cornelius a Lapide, Comment. in Deut. 32, 22: „Ignis ille non solum hic in terra corripiet et involvet impios, quum Dominus judicabit orbem, sed etiam in inferno et in ima terrae voragine in omnem aeternitatem ardebit."

32) Schenz, Alttestamentliche Offenbarungslehre p. 12.

33) Mühlau-Volk, Hebr. Lexikon s. v. *Rapheh;* Budde, Das Buch Hiob p. 144; alii. Secundum Gesenium, Thes. p. 1302 *Rephaim* fortasse sunt Requiescentes, Silentes.

34) Marti, Geschichte der israelit. Religion, ed. III., p. 117. 193 sq.

35) Primus omnium interpretum recentiorum, quoad nos scimus, Jahn, Bibl. Archaeologie III, p. 173 sq., accuratius demonstravit, veteres Hebraeos de Scheole sive Orco non tam desperate sensisse quam alias gentes.

36) Chrysostomus apud Hummelauer, Comment. in Gen. p. 393: „Non dixit „morieris" sed „ibis" peregrini instar atque migraturus de patria in patriam."

37) Scholz, Handbuch der Theologie des Alten Bundes II, p. 82.

38) Knabenbauer, Comment. in librum Job p. 63 sqq.

mercede terrena poenisque externis ad mandata sua observanda impelleret et ab inobedientia absterreret, quae disciplina initio et propter puerilem immaturitatem et propter contumaciam quandam populi educandi omnino necessaria erat; [39]) quam ob rem etiam legislatione Mosaica finita Deus hoc promittebat: „Si in praeceptis meis ambulaveritis et mandata mea custodieritis et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur etc.“, contemptoribus vero voluntatis suae comminabatur bella, famem, pestem, terrae devastationem, alia mala temporalia (Lev. 26, 1 sqq.; Deut. 28. 29. 30). Nihilominus tamen occasione data Dominus filiis suis obedientibus ac fidelibus mercedem pollicebatur futura demum in vita adipiscendam. Nam „custodite,“ ait, „leges meas atque judicia, quae faciens homo vivet in eis. Ego Dominus!“ Cf. Lev. 18, 5; Deut. 4, 1; 8, 1; 30, 15 sq. Ne verba ista ad terrestrem vitam referamus eo impedimur, quod Christus in disputatione sua de aeterna vita cum adolescente quodam divite habita ejusdem loci rationem haberet, quum ad hanc adolescentis interrogationem: „Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?“ responderet: „Si vis ad vitam ingredi, serva mandata!“ (Matth. 19, 16 sqq.). Ideoque summus S. Scripturae interpres, quae significatio hoc loco (Lev. 18, 5) voci „vivere“ insit, clare demonstravit. — Qua cum re hoc bene congruit, quod sicuti in aliis libris S. Scripturae, ita etiam in Pentateucho passim mentio fit libri vitae, in quo nomina hominum ad beatitudinem aeternam vocatorum inscribebantur, et ex quo nomina eorum, qui propter gravia peccata mortem aeternam promeruerant, delebantur. Cf. Ps. 69, 29; Jes. 4, 3; Dan. 12, 1. Unde ipse Moses, quum abominabili idololatria populi fere ad desperationem adductus se ipsum Deo pro peccatoribus sacrificium offerret his verbis: „Dele me de libro tuo, quem scripsisti (Exod. 32, 32),“ non de solius corporis morte verba fecit, sed aeque ac posteriore tempore S. Paulus apostolus (Rom. 9, 3) sempiternae beatitudini amicis Dei in inferno paratae renuntiare voluit. [40]) — Denique vita incolarum Scheolis veteribus Hebraeis ea de causa non omnino tristis et infelix esse videbatur, quod ipsis nonnulla vaticinia Messiana non ignota erant, quae Messiam gratiam ac misericordiam suam non solum vivis sed etiam mortuis largiturum esse docebant. Jam Proto-Evangelium (Gen. 3, 15), quod in universum pavidorum hominum Paradiso expulsorum animum erigebat, acerbitatem quoque mortis aliquanto minuere valebat. Si enim sperandum erat, fore ut semen mulieris i. e. Messias suo tempore serpentis diabolicae caput contereret, unusquisque fructum victoriae illius non minus in futura quam in terrestri vita exspectare poterat. [41]) Similiter animos Hebraeorum consolabatur ac recreabat vaticinium, quod patriarchis identidem his verbis nuntiatum erat: „Omnes gentes terrae benedicentur in semine tuo“ i. e. imprimis in ipso Messia! (Gen. 22, 18; 26, 4; 28, 14. Cf. Gal. 3, 16). [42]) Qua promissione perspecta et Abraham exultabat, ut videret diem Messiae i. e. adventum ejus in carne (Joh. 8, 56), [43]) et Jacob patriarcha moribundus, dum filios suos bonis omini-

---

[39]) Schäfer, Katholik 1877, II, p. 364.

[40]) Cornelius a Lapide, Comment. in Exod. 32, 32: „Liber vitae aut liber Dei ubique in Scriptura significat conscriptionem eorum, qui electi sunt vel absolute vel inchoate ad vitam aeternam, conscriptionem inquam et consignationem in mente et memoria divina, qui est liber aeternae praedestinationis.“ — Immerito autem nonnulli interpretes hic interrogant, utrum votum Mosis licitum fuerit an impium atque irreverens. „Non enim debemus“, ait recte jam Rupertus, „excessum hunc charitatis Mosis ad nostras ordinarias charitatis et prudentiae leges exigere.“ Cf. Thomas a Kempis, Imit. Christi III, 5. 4: „Amor modum saepe nescit sed super omnem modum fervescit.“

[41]) Himpel, Die messianischen Weissagungen im Pentateuch, Theolog. Quartalschrift 1859, p. 195: „Der Mensch sollte nicht sein Leben in den Niederungen der Welt beginnen, ohne zugleich durch ein unmittelbares Gotteswort Bürgschaft für die Wiederanknüpfung seines Lebens an seinen Ursprung aus der Höhe zu erhalten.“

[42]) Himpel, l. c. p. 254.

[43]) Maldonat, Comment. in Joh. 8, 56; Schanz; alii.

bus prosequebatur, suam ipsius fortunam futuram salutabat hoc modo: „Salutare tuum exspecto Domine!" (Gen. 49, 18). [44]) — Itaque jam tempore patriarcharum spes Hebraeorum Messiana quasi lux quaedam erat, qua Scheolis caligo nonnulla ex parte collustrabatur. Nonne autem, quo plura ejusmodi vaticinia postea a prophetis populo praedicabantur, eo magis magisque singuli Hebraei moribundi tormenta Scheolis contemnere debebant? [45])

4. Ad quaestionem nostram illustrandam breviter commemoremus oportet singularem Henochi pii patriarchae exitum, qui non solum ab Hebraeis sed etiam a nonnullis gentibus barbaris magnis laudibus praedicatus est. [46]) Henoch enim postquam brevem quidem sed sanctam vitam in terra egit, a Deo mercedem recepit insignem. „Ambulavit", ait Moses, „Henoch cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus (Gen. 5, 24)." Simplici autem verborum significationi optime satisfieri videtur, si jam ex voce „tulit" colligimus, patriarcham mortem non consueto modo obiisse sed a Deo mirabiliter terra semotum esse. Quae sententia, quam plurimi semper interpretes et synagogae [47]) et ecclesiae christianae [48]) secuti sunt, primum eo probatur, quod mors ceterorum patriarcharum in quinto Genesis capite enumeratorum vocabulo *wajjamoth* i. e. mortuus est, solius vero Henochi exitus vitae indicatur eadam voce *laqach* i. e. tulit (eum Deus), qua in altero Regum libro mirificus Eliae prophetae ascensus describitur (II Reg. 2, 3. 5. 9. 10). Praeterea interpretationi isti testimonia Siracidae et S. Pauli Henocho perhibita fidem faciunt; [49]) accedit denique, quod patriarcha vix in tanto honore apud varias gentes fuisset, si non mirabiliter e vita excessisset. [50])

Sive autem sententia modo proposita comprobanda est sive Henoch post sanctam terrestrem vitam revera placida morte obdormivit, [51]) certe ad unum omnes illius admiratores Hebraici et ethnici persuasum habebant, terrestri vitae patriarchae successisse vitam aeternam summis bonis ac praemiis repletam. Unde prae ceteris gentibus Hebraeis, quippe qui Dei justitiam et benignitatem optime perspectam haberent, facile spes affulgere poterat, fore ut ipsis quoque, vita terrestri pie peracta, Deus mercedem quandam mercedi Henochi non omnino dissimilem tribueret. Immo etiam Bileam, mirus ille propheta ethnicus, quum primum suum oraculum celeberrimum de populo Israelitico ex montibus Moabiticis promulgatum his verbis finiret: „Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (Num. 23, 10)," sine dubio sortis aeternae eorum particeps fieri desiderabat, qui aeque ac Henoch patriarcha miseram hanc vitam terrestrem cum beatiore vita sempiterna commutaverant. Ergo retributio singularis viro illi illustrissimo a Deo impertita id manifesto effecit, ut et inter veteres Hebraeos et inter alias gentes rectiores ideae de Scheole divulgarentur.

---

44) Delitzsch, Commentar über die Genesis, ed. III., p. 597. Cf. Hummelauer, Comment. in Genesin p. 599: „Verba Messiam non unice licet potissimum respiciunt."

45) Schäfer, l. c. p. 468 sq.; 568; 577.

46) Reinke, Beiträge V, p. 255. 264 sq.

47) Bötticher, De inferis p. 121.

48) Irenaeus adv. haer. 4,30; Theodoret, Interrog. 45 in Gen.; Chrysostomus. Homil. XXI in Gen.; alii. Cf. Calmeti dissertatio accurata de patriarcha Henoch. Benedicti papae XIV. hac de re arbitrium gravissimum apud Haneberg, Geschichte der biblischen Offenbarung V, 3, § 6.

49) Sir. 42,16: „Enoch placuit Deo et translatus est (Vulg. in paradisum), ut det gentibus poenitentiam. Cf. ibid. 49, 14. Hebr. 11, 5: „Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus."

50) Hummelauer, Comment. in Gen. 5, 14: „Haec de translatione Henochi narratio confirmatur traditione Babyloniorum, quae quidem factum tribuit patriarchae diluvii; idque tanto minus mirandum, quod Noe etiam referatur in Genesi „ambulasse cum Deo." Gen. 6, 9.

51) Reinke, Beiträge V, p. 257—263; Dereser in Gen. 5, 24; alii.

5. Permulti Hebraei cum suae gentis defunctis duplici quadam necessitudine cohaerebant.

a. Lege Mosaica omnes vetiti erant necromantiam exercere (Lev. 19, 31; 20, 6. 27; Deut. 18, 11), vel ut aliis verbis utar: nemini licebat, magorum seu hariolorum auxilio animas mortuorum ex inferno elicere eo consilio, ut res futuras comperiret aliudve commodum a defunctis acciperet. Revera enim illis similibusque de causis multos veteres Hebraeos mortuos suos consulere voluisse, et ex narratione illa de conventu Saulis regis cum Samuele propheta habito (I Sam. 28, 7 sqq.) et ex capite VIII. (v. 19) Jesajae prophetae colligendum est, in quo populus vituperatur, quod neglecto et contempto Deo consilium et auxilium efflagitaverit a mortuis. [52]) Talibus autem cum exspectationibus necromanticos adeuntes non solum credebant, mortuos in Scheole vitam degere, sed etiam pro certo habebant, inferos clara cum conscientia et cum intimo animi sensu res secundas et adversas hominum in terra viventium spectare et prosequi posse. Inferi enim si alienati a rebus humanis tardi semper ingenii et duri animi in Scheole fuissent, nequaquam ad supplices homines adjuvandos in terram ascendissent. Immo Hebraei revelationem rerum futurarum et optimum consilium ab inferis flagitantes supranaturalem fere scientiam et vires viribus humanis majores habitatoribus Scheolis ascribebant! [53]) Qua in re hoc denique notandum est, quod quo pertinacius et nobiliores et inferiores Israelitae per saecula necromantiam exercebant, [54]) eo major populi pars ideam immortalitatis fovisse videtur. [55])

b. Dum alii in necromantia colenda auxilium a defunctis petebant, alii Hebraei defunctis auxilio venire studebant. Plurima quidem signa luctus magnum et acerbum exprimebant dolorem, quo superstites propter mortem cognatorum et amicorum suorum affecti erant. Et eo vehementiores erant istae doloris eruptiones, quo facilius concitantur gentes orientales, quae usque ad hunc diem affectus suos cohibere nequeunt. [56]) Qua de causa jam patriarchae et Mosi aequales vestes suas ante pectus a collo usque ad cingulum lacerabant tanquam cor suum dolore laceratum ostensuri (Gen. 37, 29. 34; 44, 13; Num. 14, 6), cinerem, symbolum fragilitatis humanae, super caput seu versus coelum spargebant (Job 2, 12), caput suum vestibus velabant, ut obliti omnium hominum et rerum totos se dolori dedere possent (II Sam. 15, 30) etc. [57]). Significationem vero longe aliam dona quaedam habuisse videntur, quae super sepulcro mortuorum ponebantur vel in sepulcro abscondebantur. Vix enim dubium est, quin Hebraei panem et vinum i. e. usitatissima dona sacrificalia (Gen. 14, 18), illuc afferentes pro mortuis suis sacrificium quoddam facere voluerint (Tob. 4, 18; Deut. 20, 14; Sir. 7, 33; 30, 18). [58]) Etiam mos ille antiquus in sepulcro mortuorum

---

52) Knabenbauer, Erklärung des Propheten Jesaias p. 139.

53) Cf. I Sam. 28, 13, quo in loco Samuel de terra ascendens a pythonissa „Elohim" vocatur. Huc referendum est, quod harioli per metonymiam hebraice ipsi appellantur *jid 'onim* i. e. sapientes, scientes (Lev. 19, 31; 20, 27). Jahn Bibl. Archaeologie III, p. 464. Mühlau-Volck, Hebr. Handwörterbuch s. v. *jid 'oni*.

54) Quamquam Moses iis qui inferorum animas elicere tentabant poenam capitis comminatus erat (Lev. 20, 27), tamen complura per saecula necromantia ab Hebraeis exercebatur. Cf. I Sam. 28, 7 sqq.

55) Jahn, l. c. III, p. 172: „Man hat zwar dagegen erinnert, dass diese Citationen der Todten den Glauben an eine Fortdauer nach dem Tode nicht begründen können, weil der Aberglaube nicht consequent sei; aber so inconsequent und widersprechend kann der Aberglaube doch nicht gedacht werden, dass er von den Todten, die garnicht mehr sind, die Zukunft oder sonst geheime Dinge erfahren zu können wähnen sollte." Cf. Vigouroux, La bible et les découvertes modernes III, p. 159: „Qui s' aviserait de prétendre, que nos modernes spirites ne croient pas à l' existence des esprits?"

56) Kamphausen ap. Riehm, Handwörterbuch II, p. 1685.

57) Schegg, Bibl. Archaeologie p. 533 sq.

58) Hieronymus in Vulgata recte vertit et supplevit textum graecum Tob. 4, 18 hoc modo: „Panem tuum et *vinum tuum* super sepulturam justi constitue."

deponendi thesauros quam maximos[59]) exinde exortus esse videtur, quod cognati superstites modo defunctum donis pretiosis benevolentiae et misericordiae Dei enixe commendare volebant.[60]) Quas qui oblationes sincero animo offerebant, non longe certo aberant a fide Judae Macchabaei, qui pro militibus suis in proelio occisis in templo Hierosolymitano sacrificia obtulit (II Macch. 12, 43 sqq.),[61]) quam ad perfectiorem curam ac providentiam pro mortuis Hebraei paullatim progredi poterant, quippe qui, libro rabbinico Sohar teste, inde ab antiquissimis temporibus pro vivis et defunctis preces fundere solerent. Quotidie „Amen" illud populi precantis in Scheolem penetrabat ejusque incolas erigebat ac recreabat.[62])

Praeter eas quas modo descripsimus ceremonias Hebraei interdum aliis quibusdam signis lugubribus utebantur, quae a Mose legistatore sive toti populo sive solis presbyteris jure meritoque interdicta erant. Omnes enim Israelitae vetiti erant incidere carnem faciei, brachiorum, manuum necnon figuras aliquas et stigmata sibi insculpere (Lev. 19, 28), denique superiorem partem barbae et crinem capitis anterioris superciliaque detondere (Lev. 19, 27; Deut. 14, 1). Quae mutilationes et deformationes corporis tam immoderatum dolorem tantamque desperationem de amissis defunctis indicare videbantur, ut iram Dei, Dominatoris super vitam et mortem humanam, provocare deberent et omnibus piis Dei cultoribus dedecori essent;[63]) quo accedebat, quod nonnullae gentes idololatriae deditae simili modo luctum suum monstrabant (III Reg. 18, 28).[64]) Itaque interdicto illo Hebraei monebantur, ne de morte nimis contristarentur „sicut ceteri, qui spem non habeant" (I Thess. 4, 12), sed ut etiam in vita post mortem futura sortem satis prosperam exspectarent ab eo, qui jam Abrahamo sancte affirmasset: „Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis (Gen. 15, 1)."

Qua in exspectatione solatii plena multi Israelitae haud mediocriter firmabantur legibus specialibus, quae sacerdotum luctum circumscribebant. Posteri enim Aaronis, primi sacerdotis Israelitici, non solum denuo obligabantur, ut interdicta lugubria ceteris popularibus destinata accurate observarent (Lev. 21, 5), sed etiam lege prohibebantur, quominus crines longos et inordinatos haberent et vestes suas lacerarent (Lev. 10, 6; 21, 10; Ezech. 44, 20).[65]) Quem autem ad finem ista amplificatio legis facta est? Num Moses sacerdotes imprimisque summum sacerdotem singulari tantum modo tueri ac defendere voluit, ne signis illis luctus levitice contaminarentur?[66]) At non ipsa laceratio vestium, quae Abnero mortuo a David rege nominatim toti populo praescribebatur (II Sam. 3, 31), quemquam contaminabat, sed sola directa tactio cadaveris (Cf. Num. 19, 11: „Qui tetigerit cadaver hominis et propter hoc septem diebus fuerit immundus etc.").

---

59) Joseph., Antiqq. XIII, 8, 4; XVI, 7, 1.

60) Schwally, Das Leben nach dem Tode p. 11 sqq., non solum dona illa sacrificalia sed etiam ceteras omnes ceremonias funebres v. gr. vestes lugubres, velationem capitis ad Animismum i. e. cultum mortuorum omnibus fere gentibus antiquis communem refert, quam tamen argumentationem coactam Benzinger, quamvis passim similiter judicet, merito rejecit. Hebr. Archaeologie p. 167.

61) Weiss, Judas Makkabaeus p. 85 sq.

62) Haneberg, Die religiösen Alterthümer der Bibel, ed. II., p. 506. Cf. Kaulen, Kirchenlexikon, tom. VII, p. 6 sqq.

63) Keil, Bibl. Commentar über die Bücher Mose's II, p. 136. Kamphausen, l. c. p. 1686. Cf. dictum illud Jobi patriarchae lugentis (I, 21): „Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum!" —

64) Secundum Xenophontem, Cyrop. III, 1, 13; III, 3, 67 similes mutilationes in usu erant apud Babylonios et Armenios; secundum Herodotum IV, 71 apud Scythos. Cf. Scholz, Götzendienst und Zauberwesen p. 57 sq.

65) Scholz, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel I, 83. 100 sq.

66) Haneberg, l. c. p. 534.

Quam ob rem nobis quidem verisimilius est, Mosen hoc interdicto probibere voluisse. ne dolori valde indulgerent illi viri, qui melius quam ceteri Israelitae perpetuam societatem et spirituale commercium Dei cum hominibus et vivis et defunctis perspectum habere deberent. Sacerdotibus, qui et ipsi semper Deo propinqui erant et totum populum Israeliticum cum Deo quotidie conjungebant (Num. 16, 5), [67]) optimo jure non licitum erat vehementi suo luctu opinionem excitare, morte corporis vinculum Deum inter et hominem omnino diruptum esse. Atque ita etiam multitudo populi Israelitici quotiescumque videbat praestantiores Dei servos i. e. sacerdotes aequo animo acerbitatem mortis tolerare, majorem spem concipiebat, animam post mortem corporis non plane perituram sed etiam in Scheole perfruituram esse Dei cura ac benignitate! —

Sed haec hactenus. Si omnia, quae adhuc de quaestione nostra disputavimus in uno conspectu posueris et perpenderis, jam non poteris negare, quin veteres Hebraei quamvis saepe finxerint cogitatione rerum post mortem futurarum imaginem subobscuram, tamen quum a Mose satis edocti essent de Deo et origine animae humanae, de foedere Deum inter et populum Israeliticum icto, de Scheole ejusque incolis, de beato exitu Henochi patriarchae, de frequenti vivorum cum defunctis commercio, minime de beata vita aeterna desperaverint, sed haud raro in idea sua immortalitatis tranquillitatem animi ac solatium invenerint. Itaque perfectior hac de re doctrina a prophetis et ab ipso Jesu Christo postea revelanda jam temporibus Mosis habebat satis solidum ac firmum fundamentum! —

---

[67]) Num. 16, 5: „Mane notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi; et quos elegerit appropinquabunt ei.“ Cf. Schegg, l. c. p. 535.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis usque ad annum 1648 enarrabit ter hebd. hora IX.
II. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis enarrabit bis hebd. hora IX.
III. Juris canonici partem generalem tradet bis hebd. hora IX.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. Eschatologiae primam partem i. e. doctrinam de sorte hominis statim post mortem futura bis terve hebd. exponet feria II. et III. et aliquoties sabbatho.
II. Repetitorium examinandi et disputandi causa instituet aliquoties sabbatho.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Prophetas minores interpretabitur bis hebd. hora VIII.
II. Epistolam S. Pauli ad Romanos explicabit bis hebd. hora VIII.
III. Repetitiones exegeticas instituet hora def.

Dr. Antonius Kranich, P. P. O.

I. Encyclopaediam s. theologiae semel hebd. explicabit hora def.
II. Apologeticae priorem partem tradet bis hebd. hora def.
III. Primum de Communione Sanctorum et fine mundi, deinceps de gratia Christi et justificatione peccatoris disseret quater hebd. vel hora X. vel def.
IV. Repetitiones dogmaticas instituet semel hebd. hora def.

Dr. Josephus Kolberg, P. P. E.

I. Theologiam moralem tradere perget hora XI.
II. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis inde ab anno 1648 docebit horis deff.
III. Historiam artis christianae antiquae exponet semel hebd. hora def.

Dr. Bernhardus Gigalski.

I. Vitam Jesu enarrabit refutatis imprimis erroribus, qui nostra aetate grassantur, bis hebd. hora def.
II. Vitam et scripta veterum patrum tractabit exercitationesque instituet semel hebd. hora def.

Dr. Alfonsus Schulz.

De canone et textu s. scripturae disseret bis hebd. hora def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Johannes Uebinger, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Logicam docebit bis hebdomade hora X.
II. Psychologiam tractabit ter hebdomade hora X.
III. Exercitationes philosophicas moderabitur semel hebdomade hora X.

Dr. Guilelmus Weissbrodt, P. P. O.

I. S. Augustini confessiones cum commilitonibus ter hebdomade hora IX. leget.
II. Graecorum et Romanorum vitam privatam ac publicam ex inscriptionibus illustrabit semel hebdomade hora IX.
III. Pindari carmina interpretabitur semel hebdomade hora IX.

Dr. Franciscus Niedenzu, P. P. O.

I. Plantarum familias maxime notabiles explicabit bis hebdomade h. VIII.
II. Exercitationes morphologico-botanicas moderabitur semel hebdomade hora VIII.
III. Excursiones ad observanda vegetabilia instituet semel hebdomade hora definienda.
IV. Selecta physices capita experimentis illustrabit bis hebdomade hora VIII.

Dr. Victor Röhrich, P. P. O.

I. Historiam Warmiensem enarrabit ter hebdomade hora XI.
II. Historiam universalem inde ab anno 1815 tradet bis hebdomade hora XI.
III. Exercitationes palaeographicas moderabitur semel hebdomade hora XI.

Martinus Switalski, Prof., Lector linguae Polon.

I. Adami Mickiewicz poëma, quod inscribitur Pan Tadeusz, legere perget semel hebdomade hora definienda.
II. Leges linguae Polonicae docebit exercitationesque loquendi Polonice instituet bis hebdomade horis deff.

Certamen litterarium et praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a Commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum currentem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum has proposuerat quaestiones:

I. **Ex instituto Regio:** Miracula Christi quam vim habeant ad veritatem religionis christianae confirmandam.

II. **Ex stipendio Scheill-Busseano:** Explicetur et illustretur cultus divinus ex scriptis S. Cyrilli Hiersolymitani et peregrinatione S. Silviae.

De priore quaestione Ordini commentatio tradita est his inscripta verbis: „Fecit signa coram populo, et credidit populus.“ Exod. 4, 30.

Commentationis auctor fundamento posito nimis forsitan amplo magna cum diligentia rem propositam perscrutatus apte disposuit et luculenter explanavit necnon objectiones adversariorum scite refutavit. Quocirca Ordo Theologorum libenter eum praemio coronavit.

Schedula rescissa prodiit nomen:

Bernhard Poschmann, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis:

„Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere proprieque catholicum.“ (Vinc. Lerin.).

Qui hoc opusculum scripsit, fontes ipsos attente exhausit, auctorum tam veterum quam nostrae aetatis judiciis explanavit et cultum divinum ecclesiae Hierosolymitanae illius temporis ita descripsit et illustravit, ut muneri suo plene satisfecisse videatur. Quapropter Ordo praemium constitutum ei adjudicare non dubitavit.

Schedula reclusa innotuit nomen:

Paul Schwartz, stud. theol.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc proposuerat quaestionem:

Vita Joannis, episcopi Warmiensis, qui dicitur de Misna, narretur.

Commentatio Ordini subjecta est hisce insignita verbis: „Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem.“ I. Reg. X, 1.

Quam qui conscripsit, licet fontes non exhauserit recentiorisque aetatis libros ex parte tantum adhibuerit, tamen si summam rei spectas, veram delineavit illius viri imaginem. Quapropter Ordo scriptori praemium legitimum adjudicavit.

Schedula rescissa prodiit nomen:

Hubert Austen, stud. theol.

In currentem annum hae quaestiones proponuntur:

Ab Ordine Theologorum:

I. Ex instituto Regio: De indulgentiarum genuina notione deque earum usu et fructu.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Ostendatur, quomodo capitula ecclesiarum cathedralium jus eligendi episcopi acquisierint.

Ab Ordine Philosophorum ex instituto Regio:

Quid inscriptiones Graecae et Latinae antiquissimae doceant, explicetur.

Certantium commentationes sermone Latino scriptae et more consueto signatae ante Kalendas Decembres Rectori Lycei Regii Hosiani tradendae sunt.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Uebinger**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**

III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**

IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof Dr. Niedenzu.**